

28.

Q. D. B. V.

# BONUM POLITICUM

In Illustri Augusteo

P. P.

*Præses*

M. CHRISTIANUS Weise /

Prof. Publ.

& Respondens

JOHANNES FRIDERICUS à Biesenroth /

Eqves Misnicus.

add. II X, Jul. M DC LXXI.

---

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS,



Th. I.

**Q**ui Politicum nominamus in Cathedra Philosophicâ, eo ipso sustulimus æquivocationem, non intelligi præcisè Personam Ecclesiasticis contradistinctam, aut hominem conversationibus pulchrè assuetum, vel etiam, quæ nominis istius explicatio jam admodum invaluit, Atheum sine conscientia, sine virtute, sine pudore: sed Virum ejusmodi, qui in regenda quavis Rep. eâq; vel instituenda, vel corrigenda, vel conservanda operam ac consilia collocat.

II. Sed unde cognoscenda BONITAS, quæ Bono Politico denominationem fœneretur, difficultas est non adeo expedita.

III. Licet enim nota sit Boni distinctio, in *honestum*, *utile* & *jucundum*; & proinde Politicus aliquis vocari queat honestus, qui solam virtutem habeat pro scopo; Utilis qui commoditatibus inhiet; Jucundus qui homileticis potissimum Virtutibus incumbat: non  
ta-

tamen undiquaque soluta videtur quæstio.

IV. Rectius progrediemur, si Bonitatem collocemus in convenientiâ cum Voluntate rectâ; rectæ autem Voluntatis mensuram capiamus ex dictamine rectæ rationis. Sic Bonus erit Politicus, qui in quavis administratione Reip. id agat, *quod recta ratio aut jubeat aut suadeat.*

V. Sed aurem nobis vellicat trita satis distinctio inter Bonum *Ethicum sive naturale*, & *Politicum sive legale*, vel ut clarius loquamur, inter Bonum quod requiritur in statu naturali perfecto ac ideali; & quod occurrit in statu legali, corrupto & possibili.

VI. Exinde profecto liquet discedendum paulisper à nimio rigore, & Bonum Politicum sæpius vocandum esse non positivè, *qui perfecte bonus sit*; sed negativè *qui malus non sit.*

VII. Jam si dictamen rectæ rationis hoc est, *ut honestatem utilitati, beatitudinem æternam temporali, bonum publicum privato anteferamus*; atque adeo corruptæ rationis contraria sunt principia, omne id amplectendum esse, quod 1. in hoc mundo 2. nos solos 3. faciat locupletiores, quocunq; tandem loco remaneat Vir-

tus nostra, Conscientia nostra, Respublica nostra, facilis erit applicatio.

IIX. Perfectè enim bonus fuerit, qui maximè det operam, ut secundum honestatem vivatur, perfectus Dei cultus æternæq; salutis cura vigeat, semperqve inveniatur Respublica augmentum ac incrementum. Imperfectè seu negativè bonus, qui saltem caveat, ne inhonestam sequatur utilitatem, ne religioni contrarium arripiat consilium, ne quicquam in opibus privatorum augeat cum detrimento Reip.

IX. Uno verbo: *Ille præcepta rationis implet; Hic prohibitiones non violat.*

X. Sed duo sunt, in quibus determinata jam bonitas locum invenit. *Ipsè finis & medià ad finem.* Sæpe enim qui optimum actionis scopum habet, malis & illicitis agendi mediis abuti, omnemq; actionem contaminare potest. Sicut ex adverso ipsa Virtus ad malum finem directà, vitii notam incurrit.

XI. Finis Politici *aut ultimus est aut intermedius*, sive quod eodem recidit, aut honestus aut utilis.

XII. Ultimus à Theologis vocatur *gloria Dei Creatoris nostri*: à Politicis eodem sensu

*Vir-*

*Virtutis pietatisq; exercitium.* A quo enim Vi-  
tam vitæq; alimenta habemus, ad eum offi-  
cia nostra referre fas est, si vel maximè expref-  
sum Dei mandatum de colendis Virtutibus  
non extet. Deum verò, qui Ens est optimum,  
non nisi optimis moribus coli posse, ratio di-  
ctitat.

XIII. Sanè deploranda Christianorum  
quorundam, si Diis placet, Politicorum con-  
ditio est, qui Gentilibus multum deteriores  
in hujus vitæ felicitatibus consilia sua ac-  
quiescere patiuntur, nobilemq; Intellectus o-  
peram in vanitate ac ludibrio consumunt.

XIV. Intermedius finis, quem multi a-  
gnosunt pro ultimo, *Reipublicæ est conserva-  
tio, Civiumq; debita affluentia.* Consistere enim  
vix potest Virtutum continua operatio, nisi  
consistat Societas; Ipsa verò Societas, in cor-  
rupta hominum naturâ, conservari semper po-  
stulat: Ne tamen conservatio procedit, nisi  
& sustentari queant Cives, & divitiæ suppe-  
tant ad defensionem necessariâ.

XV. Exinde elucet, quàm pulchra hone-  
statis ac utilitatis esse possit harmonia; &  
quantum errent errorem, qui aliquam utili-  
tatem putent sectandam, quæ tamen ad hone-  
statem non dirigatur.

XVI.

XVI. Ultimum finem explicat Doctrina de Jure Naturæ. Intermedium ea disciplina quam à Ratione status nominare solemus *Statisticam*. Nimirum Ratio Status nihil aliud denotat quam *commodum Reip.* & si aliquod honesto satis vocabulo accrevit odium, ab e-jusdem abusu factum est.

XVII. Media ad finem dirigentia aut spectant finem ultimum aut intermedium, maximè tamen intermedium, nisi quod Legum aliqua ratio, & ipsa præcipuè cura religionis, ultimo fini penitus dedicata est.

XIIX. Et quoniam qui Majestatem sive summam potestatem habet in Rep. de ejus conservatione imprimis esse debet sollicitus, media optimè vocari possunt, *Jurium Majestatis sive Regalium exercitia*. Minores enim Magistratus si quicquam exercent, Superioris quasi instrumenta sunt.

XIX. Jam ipsa Regalia in tres dispeſcuntur classes, quas à triplici modo versandi circa objectum vocare solemus *Consultationem, Præceptum, Judicium*.

XX. Inde est, quod à Politico requiritur *Prudentia Consultatoria, Legislatoria & Judicialis*.

XXI. Consequitur etiam, media conser-  
van-

vandi Remp. aut consistere in bonis Consiliis, aut in bonis legibus, aut in expeditâ Justitiâ.

XXII. Nunc jungemus, quæ divisim dicta sunt, Bonumq; Politicum appellemus, qui eum finem habet pro ultimo, quem dictamen rectæ rationis cupit esse ultimum; eum finem tractat quasi intermedium, qui svadente ratione est intermedius; ea tandem arripit media, quæ id præferunt, quod præfert ratio; id postponunt, quod postponit ratio.

XXIII. Videmus, quid objici possit. Politicus enim non in se bonus esse debet, sed maxime requiritur, ut conformis sit Politicæ seu Reip. cui politica officia præstare cupit. Sunt autem Respublicæ, quæ pro fine ultimo divitias, potentiam bellicam, voluptates &c. agnoscunt. Ut adeo ad ejusmodi respectum trahi etiam debeat Politicus.

XXIV. Sed facilis est responsio, si talem bonitatem largiamur Politico, qualem habet ipsa Resp. Cæterum apparet in Rep. quæ corruptæ rationis instituta sequitur, Politicos vix esse posse, nisi æquè corruptos, & saltem dici bonos, per aliquam vocabuli abusioem. Sicut bonum Sutorem dicimus, qui artis suæ regulas benè exprimit; aut etiam bonum latronem, bonum furem, bonum scortatorem, qui

qvi professionum suarum regulas exactè & cum aliquo successu observant.

XXV. Coronidis loco quæri potest, quæ inter virum bonum & Politicum bonum sit differentia? Sanè si Virum bonum accipiamus in sensu positivo, Politicum in sensu negativo, clarum est discrimen.

XXVI. Alii sic differunt, ad Virum bonum id requiri, ut omnium virtutum operationem cordi habeat: Bono Politico sufficere, si eas saltem Virtutes exerceat, quæ ad munus suum gerendum commodæ sunt. Sic, *verba sunt Conringii Civil. Prudent. cap. 13. p. 271. qvi ad Judicia appellere vult animum, necessum est, ne sit avarus, ne præcipitis iracundiæ, ut sit amans justis, Dei reverens. In aliis Fortitudo: in aliis Taciturnitas: in aliis Liberalitas: in omnibus Temperantia & Justitia maximè requiritur.*

XXVII. Felix interim Resp., ubi inter bonos viros bonosqve Politicos nulla advertitur discrepantia, ubi quod jubet Magistratus, exemplo vitaqve commendat subditis: uno verbo, ubi Ethica Politicæ non est contraria.

